Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1215

Quelle:
Copyright:

sae, quae cum subputentur *Libris*, occurrantque inter Accipientes *Wilhelmus de Egmonda*, *Petrus de Mechlinia*, *Anthonius de Francia*, probabile fit, Codicem *Patavio* in *Belgium* commigrasse.

DXXIII.

R. 3047 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 196. f. maj. per duas columnas characterе crassiusculo, et multum scatente compendiis exaratus, coloribus distinctus, olimque *Monasterij S. Dorothee in Wyenna* continet *Libros III. priores* vasti *Commentarii in Magistrum Sententiarum*, quorum I. incipit: *Dedit Abissus uocem suam. Abac. 3. Glorioſus doctor Augustinus diuine nature ſupernam dignitatem et rationalis creature eternam felicitatem conſiderans* &c. Ex his, ut ut Autoris nomen a vetusta manu non compareat in Codice, certum fit, eum esse *Thomam Hagenoensem* O. E. rem. S. *Aug.* dictum *de Argentina*, quam diutius docendo illustravit, ad generalem Ordinis sui Prioratum provectum, et, dum Ordinis domicilia obiret, apud nos anno 1357. defunctum, conditumque in Templo Suorum hodie Aulico ad latus *Gregorii de Arimino*, de quorum inspecto a. 1634. Sepulcro narrat *Pars I. Scriptt. Univ. Vien.* p. 21. et uberius de *Thoma Oſſingerus* in *Biblioth. Auguſtin.* p. 71. Initium Commentarii supra adlatum citat *Trithemius n.* 627. et confirmant Editiones, quarum mihi *Genuenſis apud Ant. Orerium* 1585. f. objacet, *Genevenſis* vero a. 1635. f. ab *Oſſingero* memorata suspecta est. *Liber* III. in Codice nostro finitus non est. Praeterea nullae habentur *LL.* Inscriptiones aut Subscriptiones. Distinctionum tamen et Quaestionum Tituli ad finem adsunt. Noverat Codicem hunc solers *Oſſingerus*.

DXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. U. 467 XIV. ineuntis, Folior. nunc 169. f. per duas columnas minute et nitide, multis tamen pro Scholasticorum more compendiis exaratus *Commentaria in III. primos Libros Sententiarum Petri Lombardi* complectitur. Initium L. I. avulsum est usque ad *Distinctionem* XXVI. quae incipit: *Nunc de proprietatibus &c. Sicut dictum eſt hec pars que pertinet ad confeſſionem trinitatis* &c. Extrema sunt: *trinitatis patris et filij et ſpiritus ſancti.* Liber II. incipit: *Creationem rerum &c. Quantum ad primam partem huius diſtinctionis in qua eliduntur errores circa rerum creationem* &c. et finit: *et mandata eius obſerua.* Liber III. incipit: *Quamuis ſecundum beatum Auguſtinum aſſumentem materiam diuinarum ſcripturarum in libro de doctrina chriſtiana* &c. et finit: *non eſt de eſſentia iuramenti, immo accidit.* Atque hic demum ad calcem legas: *Explicit tercius liber fratris rigaldi ſuper ſententias.* Jam quis hic *Rigaldus?* Non ille, quem Bibliothecarii *Ord. Praed.* T. I. p. 475. suum faciunt;